



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Quid sit mortem timere, & cum ea configere. Quid eam capere ac
iugulare. Colloq. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Quid sit mortem timere, & cum ea
confligere.*

Quid eam capere ac iugulare.

COLLOQUIVM VIII.

QUID tu ergo iam nunc mor-
tem timere esse arbitraris?

PHILOS. Ego verò nihil aliud id esse existimo, quam metuerene vitam perdas, cuius iacturam mortem nos solemus appellare. adeo ut timor hic non de nihilo aut pro nihilo sit, sed ab amore boni illius proficiscatur, cuius naufragium ac priuationem formidamus: ut cum diues paupertatem metuit, planè nō id absq; causa facit, sed quia graue existimat, bonis suis spoliari, & ad incitas deuolui. Atque hinc etiam illud est, quod qui in rerum omnium penuria viuunt, iacturam istam vel paupertatem non metuit, quippe qui iam possessionem eius inuasit, ac nihil amittere posse incepit: è quo molestia ut procedat facile est, ut autem timor, qui

*Pauper
pauper-
tatem nō
timet.*

mali

mali non presentis sed futuri est; id
 verò admodum fieri non potest. Ita-
 que qui oculis orbatus nō est, cœci-
 tatem metuit, aut ne visu suo priue-
 tur; qui verò iam ante luminibus ca-
 ptus fuit, non cœcitatē timet, sed
 propter illā molestia doloreq; affi-
 citur. Habet ergo mortis iste timor
 fundamentum suum in bono vita,
 quam nos omnibus viribus retinere
 ac conseruare studemus. Et ecce tibi
 nunc medullam planæ hic Philoso-
 phiæ nostræ, & responsionem meam
 ex intimis illius penetralibus de-
 promptam. THEOL. Ego verò eam
 quod vehementer approbo, facere
 non possum, quin ei satis fieri velim,
 vbi ante interrogatis meis finem im-
 posuero. PHILOS. Admodum ea
 vt in quam paucissima verba confe-
 ras, enixè peto. THEOL. Curabo sa-
 nè; illud autem adhuc vtrique no-
 strum constare arbitror, & mortem
 metui posse, & verò te etiam mag-
 nopere eam formidare. PHIL. Fa-
 teor reuera eo modo quo dixi. THEOL.
 Eam ergo tu metuis vt hostem, vt i-
 namicum? PHIL. Admodum qui-
 dem

dem. THEOL. Si ergo iam morti resistere te posse affirmas, reuera & cum ea configere poteris, quod nihil admodum altero insolentius est. Si autem iam cum ea cernere licet, an non etiam capere, vincere, & si opus est, occidere illam licet? PHIL. Parum admodum quid edicas intelligo; clarius id ergo aliquanto proponi velim. THEOL. Faciam verò ego istud herculè perlubenter, & quo melius penetrare possis quæ diximus, responsionem tuam imprimis accipio, quo totius quæstionis conclusionem inde extruam, in eo fundamento quod tu ipse præclare posuisti. Illud tamen antea constare tibi velim, conflictum me istum accipere, non ut corporum cōcursum aut manuum cōsertionem aliquam, qualem in bellis, homines inter ac pecudes sæpenumerò intuemur; sed omninò aliud nihil esse quam actionem quandam spiritualem, ac tantummodo animæ vim & conatum quempiam mortis insultui oppositam, quatenus damnum ea nobis nō inferat: eodē planè modo, quo cum

*Quid sit
mortem
occidere,
& cum
ea cernere.*

auaritia, luxuria, ac alijs subinde flagitijs decertare dicimur, cum ea potius odio prosequi, à Republica & nobis arcere, neue salutem nostram aut existimationem lædant anniti, & virtutes contra inferere intelligamur. Aiebas deinde timorē mortis ex amore eo proficisci, quo vitam nostram cupimus conseruatam: ego verò istud etiam addo, cōfliktum cū morte reapse aliud nihil esse, quam vitæ nostræ defensionem, quo à capitali suo inimico ac hoste morte videlicet, damno aliquo nō afficiatur. Prorsus vt is etiam cum cœcitate pugnare fertur, qui collyrium visui cōseruando apponit: & mercator ille cum paupertate dimicare, qui secundum Poetam, per mare pauperiæ fugit: & qui cibis vitam sustentat suam, non ineptè cū morte naturali configere dicitur: sicutq; eū qui legi Dei obediens vitam suam spirituale confirmat, non absurdè cum morte Christianorū cernere dixeris, quæ admodum Dom. noster ait. Qui verba mea obseruat nō morietur; vbi tu nihil aliud intelligis quam victoriā eum

*Horat. 2.
p. lib. 1.*

*Ioan. 18.
11.*

ANIMAE DEVOTAE. 51

eum de morte relaturum postquã legitimè certaueris, sine quo admodũ victoria nulla esse potest. Cũ itaq; cum morte manum conferere dicimur, nõ circa umbrã aliquam occupari existimãdi sumus, sed id agere, vt vitã incolumem fartamq; habeamus; mortẽ autem capere solemus, non eam in spelãum aliquod compingendo, aut quemadmodum Chirurghi anatomiam siccatã penes se asseruant, sic nos in officinam aut capsam aliquam eam retrudẽdo; sed religiosẽ vitam exigendo, & studiosẽ curando, vt cum mors ista corporea nos accesserit, fructum aliquem afferat: quemadmodum victoribus captiui facere consueuerunt, & vt porta se habeat, per quã cælũ ingrediamur. sicuti præclarè id admodũ à sanctis Martyribus factitatum accepimus, qui moriẽtes mortem carni subiecerunt, & per patientiam de ea triumphauerunt, thesauros vitæ gloriæque secum æternæ referentes. Eandem ergo mortem cum occidisse ferimur, non lancea illam traiecisse, non sanguinem

*Mortem
occidere.*

nem illius fuisse, non vitam ei eripuisse dicimur, cum reuera ista corpori tantum accidant, quod viuit, morti autem euenire non possunt, quam tu paulò ante priuatione contendebas, & minus omninò quam umbrã esse asserebas: sed ita ex præscripto legum diuinarum actiones nostras instituisse, vt aliquãdo mors à nobis arceri possit. itaque iuxta viuere nulla vt illius formidine percellamur, aut recordatione eius aliqua in nostris corporibus exanimemur; quemadmodum in hoc mundo plerumque eorum memoria oblitterata est, qui naturæ debitum suum persoluerunt. Scriptura porrò sacra cum mortem etiam omninò destructam iri commemorat, eodem ferè loquendi genere id effert; sicut cum

Isai. 25 8.

Esaias ruinam prædicens, in quam mortis regnum agendum esset, ait, DEVM illam in æternum præcipitare constituisse.

Ose. 13. 14.

Iesus

Christus

mortem

occidit.

seas dicens, *O mors ego mors tua ero.*

Ambo autem victoriam quam Filius DEI reportaturus erat mortem occidendo prænuntiabant, primo in

cor-

corpore suo naturali, tertia die cum gloria ac immortalitate reuiuifcente, & omnia mortis iura euertente: Secundo in corpore suo mystico, electorum puta, quos ad sui similitudinem in communi illa ac generali resurrectione immortales effecturus est. Ea verò quæ figuratè & metaphoricè à Prophetis dicta accepim⁹, occidere videlicet mortem & præcipitare, D. Ioannes velut interpretem acturus verbis proprijs declarauit, quando de vita Beatorum sermonem instituens, inquit: *Et mors vltra non erit*. planè ac si dicere voluisset. Deus mortem ita occidet atque delebit, vt nec spiritum nec sensum amplius habitura sit inter eos qui in numerum Beatorum ciuium fuerint adlecti. Atque si illud etiam quæris, cur Sancti illi supremi numinis Amanuenses tragicum hunc loquendi modum vsurparint, cum simpliciter dicere potuissent, Deus mortem fugabit, facturusq; est, amplius vt illa non existat; Respondeo factum hoc heroicum prorsus ac præclarum fuisse, & quod non nisi

*Ap. 21. 4.
Præcipitare
& occidere
mortem
phrasis
Biblica.*

C ; à Ca-

à Capitaneo omnipotenti designari potuerit, vt videlicet cū morte confingeret, cuius regnum omnium regnorum mundi crudeliffimum iuxta & fortiffimum erat. Adhibēda ergo fuerunt, quo excellentia, & laus huius tam eximij facinoris melius exprimeretur, & vero etiam ipse honore ac nomine debito afficeretur, verba grauiā, fpiritus plena, & fingularem quandam vim ac fortitudinem exprimentia, vti sunt præcipitare atque contrucidare. Quibus ita cōstitutis, aio, quod quemadmodum mortem timere aliud non est, quam metu quodam perfūdi ea ne tibi noceat: ita cum ea cōgredi, vimque hanc lædendi & nocendi depellere, significare: captiuam ducere, fructū ex ea & vtilitatem reportare: occidere, ita omnem vitæ suæ cursum moderari, vt aliquando nec animæ nec corpori imperet, quamuis ad tempus cum in mundo hoc moraremur, illius sibi possessionem vindicabit.

*Quid sit
mortem
capere.*